



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 1. Non debet esse suspecta veritas, quam revelâsse summa  
judicatur veracitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui post mortem comperitur, furta aut homicidia in vita commisisse, non debere propterea in patibulo suspendi, aut rotæ implecti, uti communis praxis habet.

Deducitur 2. Eum, qui vivus justam causam dederat suis, aut aliis criminibus, ut capitis pœnam sustineret, non debere mortuum eandem pœnam sustinere, uti communiter sentiunt Doctores.

Deducitur 3. Eum, qui propter certa delicta in vita infamissimè proclamari & haberi meruit, non esse ut secunda morte tractandum juxta eosdem Doctores.

ARTICULUS V.

Principiis generalibus ad virtutes Theologicas pertinentibus.

§. I.

DE FIDEI PRINCIPIIS.

PRINCIPIUM I.

Non debet esse suspecta veritas, quam revelasse summa judicatur veracitas.

Sensus.

Hoc est, quando quis sufficientia habet motiva, ob quæ libenter judicare possit, doctrinam aliquam vel propositionem à Deo esse revelatam, hoc ipso obligatur, ut nullatenus amplius de eo dubium admittat, sed, si quidem assentiri non velit, vel debeat, firmissimum Fidei assensum eliciat.

Authoritas.

Desumptum est tum ex S. Scriptura, ubi Deus passim testatur suam veritatis. ps. 39. Deus verax ad Rom. 3. non mentiri se Tit. 1. & Num. 23. dicitur; tum ex SS. Patrum & Theologorum unanimi consensu.

## Ratio.

Quia hoc ipso, quòd Deus sit summa & essentialis veritas, meritò locutio illius & revelatio infallibilis, verbum veritatis Eph. & Jac. 1. dicitur, atque adeò assensum quoque appreciativè summum & firmissimum meretur. Unde S. Basilius in moral. reg. 8. c. 2. ait, Majorem auctoritatem haberi verbis Domini, quàm ulli quantumvis certissimæ auctoritatis nostri expletioni.

## Praxis.

Hinc deducitur 1. Quidquid in S. Scriptura revelatum est, firmissimè credendum esse, cum hanc esse verum verbum Dei, communi Ecclesiæ & Conciliorum definitione conclusum sit.

Deducitur 2. Etiam Traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas simili assensu credendas esse; nam, ut S. Epiphanius hæres. 61. rectè advertit, non omnia à divina Scriptura accipi possunt; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione per vocem Apostoli tradiderunt, quemadmodum etiam Apostolus, sicut tradidi vobis: & alibi: Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis.

Deducitur 3. Ecclesiæ quoque & Conciliorum approbatorum definitiones pro articulis Fidei habendas esse, cum Ecclesia sit Dei vivi columna & firmamentum veritatis, ut S. Paulo 1. ad Tim. 3. idemque de Conciliis sit sententia, uti S. Leo 1. Epist. 78. ad Leonem Imp. his verbis clarè indicavit: *De rebus & apud Neceam, & apud Chalcedonem (quæ Deo placuit) definitis nullum audemus inire tractatum, quàm dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fuit Auctoritas.*

## PRINCIPIUM II.

Sine Fide impossibile est placere Deo.

## Sensus.

Hoc est, nisi quis Adultus firmissimè credat, Deum esse potentem rerum Supernaturalium Authorem existere, & Remuneratorem esse, atque adeò malis supplicium æternum, bonis vitam & præmium æternum tribuere, nulla ratione salvari potest.